

ea in actum deducendi, unde nec homini, etiam si volunt, ne tam
tillum tamen nocere, nec quicquam in natura efficere possunt,
nisi permittente DEO.

§. 3. Magna ergo Dæmonum est potentia, quæ ta-
men divinæ non æquat, illa enim se extendit in infinitum,
sed Dæmonum potestas huic substrata est, & ab eâ depen-
det, ita ut prohibente DEO nullum valeant effectum pro-
ducere Dæmones: Licet ergo multa agant nobis mirabi-
lia quæ ab ipso divino Numinе processa videntur, sunt ta-
men naturalia, & in natura suas agnoscunt causas; supra
naturam enim aliquid efficere, ipsarum non est virium.
Quamvis enim se DEos esse simulent, quantum possunt, sensusq;
Phantasiam danis prodigiis stupefiant & perstringant, quin &
quidam apud eos summus summoq; DEI loco haberi cupiat, præ-
dicunt tamen tantum ex conjecturis & lubenter fallunt omnes
& mentiuntur, sicuti concinnè satis scribit Porph. ad aneb. Egypt.

§. 4. Has potentiarum fraudes, fraudumque limi-
tes, quibus sæpe sæpies Dæmones nostros divexant animos,
quo usque se extendant, pro viribus in præsenti sum de-
monstratus. TRIUNE JUVA DEUS!

CAP. I.

tradit

ONOMATOLOGIAM, DEFINI- TIONEM, EJUSQUE EXPLICA- TIONEM.

I.

Cum rerum intelligentiæ ab intellectu verborum de-
pendeant, teste Agellio l. 13. N. A. c. 10. operæ preti-
um esse puto, si in Onomatologia vocis Dæmonis paulu-
lum laborem, quo res cō evidentius patescat.

§. 2.